

SCIPIO FRANCISCI

SIVE

DE ORTV, ET PROGRESSV

ARBORIS S. FRANCISCI

Historica Relatio

CONCINNATA

A

P. Ludouico Francisco Felix, ex Marchionatu Morauiæ, Cremsiriensi, Ord. S. Francisci Minor. Conuentual. Prouinciæ Austriæ.



Romæ, Typis Michaelis Herculis 1676.
Superiorum permissu.



ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. MICHAELI VVENCESLAO

S. R. I.

COMITI A VVEISSEN VVOLFF ETC.

Lib. Baroni in Sonn, & Ensegg.

Domino in Steuregg, Erlach, Khoppach, Rhoit, Parz, Sphilberg, Lustenfelden, & Rechberg, &c.

Sac.Cæs. Maiest. Actuali Camerario, Super. Austriæ Præfecto Hæred.

Et Inclytæ Nationis Germanicæ in Italia.

SENIS CONSILLARIO

Dom. ac Patrono suo colendiss.



ILLUSTRISSIME
DOMINE COMES



EX quo celebres Italiæ plagas ſagaciori oculorum acie circumſpexi, ſummum in id impendi ſtudium venerandæ Antiquitatis rudera indagare, & Religionis meæ Seraphicæ vetuſtas memorias pia venera-

neratione admirari . Inueſtiganti verò mihi Cœnobij noſtri Senenſis monumenta , vnum inter cætera à quadringentorum (& vltra) annorum orbita propaginem ſuam trahens reperi ſub aperto Ioue , virens , verùm in animis hominum marceſcens, SCIPIONEM videlicet Beati Patris mei FRANCISCI , quem diuina virtus aridum fecit virere, virentem verò mortalium tepor facit areſcere, cuius prodigioſas radices, dum profundiori admirationis meæ ſcrutarer ligone, cœleſtis illius Agricolæ manu plantatas , mira auctoritas me erudijt . Proinde ad excitandum in præcordijs fidelium erga venerandum lignum , florentem deuotionis reuerentiam , & clariorem no-

minis

minis eius , per vniuersas orbis Regiones propagationem , ORTVM, ET PROGRESSVM eiusdem humili complexus stylo , TVO NOMINI ILLVSTRISSIME DOMINE COMES , dicandum , & consecrandum æquissimùm duxi , vtpote qui extra Lares Patrios longas aggressus es peregrinationes , baculo quo sustenteris opus habes , certè non casurus neque Solis vrentis æstum experturus , si tanti SCIPIONIS soliditate fultus, Arborisque adeò prodigiosæ suaui vmbra (dicere volo Seraphici FRANCISCI quem TIBI peculiarem in cœlesti curiâ delegisti Aduodatum) tutelà protectus fueris . Complectere igitur MECOENAS OPTIME

SPES

SPES non modica ILLVSTRISSIMAE PROSAPIAE TVAE, animo benigno, vultuque hilari, Arboris huius virentis, aridà pennà ſcriptam Hiſtoriam, quam non phaleratorum verborum varietas, ſed rei veritas TIBI reddat gratam, & acceptam, pretioſora enim ad manum mihi non ſunt munera TVIS digna meritis, quibus ILLVSTRISSIMA DOMVS TVA in Religionem meam præſertim in Superiore Auſtria magnificà ſemper illuxit liberalitate. Eaque validius innoteſcit Patrocinio, & munificentià Illuſtriſſimi, ac Excellentiſſimi Genitoris tui D. D. Helmhardi Chriſtophori Sac. Rom. Imp. Comitis à VVeiſſen VVolff &c. Su-

perio-

perioris Auſtriæ Gubernatoris Digniſſimi eiuſdemque Pouinciæ ſupremi Hæreditarij Præfecti , quæ me prouocauit , vt has tenues laboris mei primitias ad aras ILLVSTRISSIMAE DOMINATIONIS TVAE conſecrarem , quamuis Zoilos , qui hos meos conatus improbent , non autumem defuturos . Nec immeritò . Quis enim tanto Dynaſtæ Cæſarea in Aula torrente gratiarum affluenti tàm exiguum atque rude munuſculum offerre non erubeſcat ? Erubeſco & ego ILLVSTRISSIME DOMINE COMES , dum hinc muneris mei exiguitatem , illinc verò affabilitatis , beneuolentię , & manſuetudinis . cæterarumque virtutum

(quas

(quas recenſere profunda TVA non permittit humilitas) contempler magnitudinem. Quid igitur, nunquid recedam? abſit, imò confidentius accedam exules imitaturus peregrinos, qui magna, & pretioſa offerre nequeunt, dum ſe extra dulces Patriæ focos degere conſpiciunt. Vale, & TE Romani Imperij lucris, Religioniſque noſtræ Franciſcanæ commodis, diu incolumem Deus Optimus Maximus ſeruare dignetur.

Senis ad S. Franciſcum 29. Auguſti Anno 1675.

Illuſtriſſimæ D. Tuæ.

Seruus inutilis

Fr. Ludouicus Franciſcus Felix Franciſcanus Conuent.

CANDIDO LECTORI.

EN desideratam Lector gratiose, candidis tuis manibus ARBORIS S. FRANCISCI porrigo Historiam, non Oratorum pigmentis, & calamistris luxuriantem (hæc enim sæpè sepiùs veritatis candorem profanant) verùm humili pennà expressam, quam si præter expectationem tuam, minus comptam legeris, nares quæso ne crispes, neque temeritati meæ impingas, stylo adeò trito eam me prælo dedisse verùm prudentiùs Prælati mei Senensis imperio rem adscripseris, qui id laboris mihi imposuit. Vale, & lege; tunc enim Candidus Lector mihi eris, si eo candore, quò ego scripsi legeris.

Die 20. Ianuarij 1676. à Nat.

E*Go Gabriel Guccius Canonic. & S. Officij Consultor, de mandato Reuerēdiss. P. Inquisit. Gener. vidi, ac perlegi præsens opusculum in scriptum* Scipio Francisci, siue de Ortu, & Progressu Arboris S. Francisci Historica relatio concinnata à R.P. Ludouico Francisco Felix Morauo; *incipit* Ex quo celebres *in Epistola dedicatoria, & finit* celebrare, & commendare non cessant. *Nihil in eo reperi, quod Catholicæ fidei, Sacris Canonibus, bonisue moribus repugnet: quapropter typis mandari posse censeo: In quorum fidem propriâ manu scripsi, ac subscripsi.*

Idem Gabriel Guccius.

Attentâ supradicta attestatione

Imprimatur

F. Ioseph de Amato à Messafra
Ord. Min. Conu. S. Francisci
Inquisit. Gener. Senar.

Imprimatur

Germanicus Ptolomæus
Vicar. Gener.

FR. MARTIALIS PELLEGRINVS de Caſtrouillarum, Art. & Sacr. Theologiæ Doctor, totius Ordin. Minor. S. FRANCISCI Conuent. Miniſter. Genener. Sac.Congr. Indicis Conſultor, & in Romano Archigym. Publicus Sacræ Hiſtoriȩ Profeſſor.

CVm *opus cui Titulus* Scipio Franciſci, ſiue de Ortu, & Progreſſu Arboris S. Franciſci *elaboratum, à Baccalaureo* F. Ludouico Franciſco Felix *Prouinciæ Auſtriæ* P. *Mag. Ioannes* Maria *Buonfanti* de Meſ*ſana, de mandato noſtro recognouerit, & in lucem edi poſſe probauerit, facultatem concedimus, vt ſeruatis ſeruandis, typis mandari poſſit. In cuius rei fidem has literas noſtra ſubſcriptione, noſtrique officij ſigno munitas dedimus. Romæ die* 29. *Febr.* 1676.

Fr. Martialis Miniſter Generalis,
Loco † Sigilli

Fr. *Vincentius Maria de Roſſi à Bario Ordinis Secretarius, & Aſſiſtens.*

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P.Mag. S. Pal.Apoſt.

I.de Ang.Arch.Vrb.Viceſg.


Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Præd.Sac. Pal.Apoſt. Mag.

SCIPIONIS FRANCISCI SIVE De Ortu, & Progressu ARBORIS S. FRANCISCI.

CAP. I.

De præcipuo desiderio quo Sanctus erga lignum quernum ferebatur.



Vantis amoris æstibus Vir Seraphicus erga Christum passum flagrarit, vitæ ipsius elingues, facilè omnes loquuntur actiones, quoniam cunctæ eius potentiæ, circa salutifera acerbissimæ passionis mysteria, indefesso meditationis spiritu altissimè absorptæ continuè versabantur, quæ, vt tenacissimè cordi suo insculperet, omne in id impendit studium, instrumentorum

illorũ compaſſiuo ſemper delectari aſpectu, quæ ei atrocem illam in redimendo homine, Dei Hominis repræſentarent tragœdiam. Quare præ cæteris arboribus ſolà quercuum particulari delectabatur ſocietate: ſub quercubus enim frequentiùs orabat, prædicabat, quieſcebat, & tacito quodam honoris cultu, arbores iſtas proſequebatur, quemadmodum vitæ eius, omnes memoria produnt Scriptores (a) Antiquiſſimus è Franciſcana Conuentualium Familia, non minùs ſapientià, quàm ſanctitate celebris Hiſtoricus Bartholomæus Piſanus, qui nihil vnquam à veritate alienum chartis mandauit, in aureo illo Conformitatum libro refert: (b) Beatum Franciſcum ad Caſtrum Citernæ, Caſtellanæ Diœ-

ceſeos

a Barth. Piſanus Minorita Conuent. ſcripſit vitam S. Franciſci Anno 1385.

b Piſan. lib. 1. *Confor. fruct.* 10. *Theatrum Seraph. Spect.* 1. *pag.* 233.

cefcos concionandi cauſà, ſub opacam declinaſſe quercum, quam formicis obſeſſam cernens, imperauit vt eà deſertà colonias ducerent longiùs, dictu mirùm! vix Sanctus in inquietiſſima ſententiam tulerat inſecta, velut agmine facto illinc receſſerunt nuſquam deinceps ab incolis ibidem viſæ.

(a) Scandens verò Pater Beatus primà vice prærupta montis Aluernæ cacumina, & laſſato tantiſper volens indulgere corpuſculo, ad radices vnius è quercubus cum Sociis cōſedit; ad quem illicò ſalutandum tanquā hoſpitem gratiſſimū agmen diuerſarum aduolauit volucium dulciſſima ei modulantium harmoniâ, quarum aliquæ ad arcendum ſolis æſtū, explicatis alarum remigiis motu quietiſſimo ſuaues imitatę zephyros, caput eius circumuolitabant, aliæ ſcapulis inſidentes

 tes

a Piſanus lib. 3. Conform. fruct. 31. Theat. Seraph. Spect. 1. pag. 233.

tes ad iussa Sancti velut capessenda protensis rostris, celeres sese annuebant, illæ inter sinus, genua, tibiasque saltitantes, virentibus quasi in ramis se oberrare garritu dulcisono velut declarabant; istæ manibus innocentis Patris certatim se ingerentes, tanquam tutissimis caueis vltrò se includebant. Quem insolitum auium plausum Vir Seraphicus tacito admirationis spiritu perpendens, ad suos vultu excitato conuersus, inquit: *Credo Fratres mei charissimi, quòd Domino nostro IESV Christo placeat, vt in monte hoc solitario locum capiamus, tantam de nostro aduentu sorores auiculæ prætendunt lætitiam.*

(*a*) Existens verò montis Aluernæ nouus Incola FRANCISCVS sequestratū à Socijs sub procera fago sibi construxit Oratorium, in quo noctes protelatas sanctæ orationis consecrabat studio. (*b*) Fagum

a Gonzaga in Cron. Minor. par. 2.
b Plin. lib. 16. cap. 5.

gum enim quernæ speciei vult esse Plinius, qui omnes glandiferas arbores, sub hoc prædicato QVERCVS complectitur, (a) vndè etiam ad se fulciendum itinera faciendo, illo maximè ante suum ex hac vita transitum biennio, baculo vtebatur querceo.

C A P V T I I.

Quare B. FRANCISCVS scipione vsus sit quernco.

MIrùm sanè, cur Beatus Pater, huius siluestris, incultæ, & nullarum deliciarum arboris, tanto teneretur desiderio? dura (verùm est) & multùm siluestris arbor quercus, sed duriorem magisque siluestrem FRANCISCO repræsentabat metamorphosin, quam in bene-

a *Philom. Massic. de Arbore S. Franc. Acad. discursu 4. fol. 65.*

dictum, & dulcissimum fructū IESVM, duri, & siluestres exercuere peccatores. Nouerat procuIdubio FRANCISCVS diuinis eruditus oraculis, lignum illud in quo salus mundi pependit, de ponderosa quercu fabricatum fuisse, super quo Isaias vaticinatus, ait (a). *Et erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus quæ extendit ramos suos, semen Sanctum erit id, quod steterit in ea.* Cuius Sancti Prophetæ diuinissimo oraculo, qui contradixisset, nullus hactenus proborum extitit Auctorum, imò quotquot Historici de Cruce Christi scripserunt omnes concordi calculo, (b) illam de quercu fuisse, nobis tradiderunt, quod liquidò patet in illa potiori parte Sanctæ Crucis, quæ Romæ asseruatur, cuius color propriè est quercicus. Idē demonstrant illæ duæ partes Crucis, quæ summa cum deuotione coluntur, altera Mantuæ in Cappella S. Barbaræ,

a *Isaiæ cap. 61.*
b *Plin. lib. 16. c. 5. S. Franc. Acad. disc. 4. f. 65.*

ræ, altera in Basilica S. Stephani Bononię.

Par quoque fert testimonium ea Crux Christi, quam F. Elias primus Seraphicæ Religionis à S. FRANCISCO institutus Vicarius, imperante Friderico II. Constantinopoli Cortonam attulit, eaque Ecclesiam Franciscanorum Conuentualium decoram reddidit, quæ hodiernum vsque in diem reuerenter ibidem adoratur. Denique Crucem Christi fuisse è quercu, sexcenti grauissimi vnanimiter tradunt Scriptores. (a)

Vbi autem FRANCISCVS abdicato Mundo, eiusque concupiscentijs calcatis Minorum plantare cœpisset Ordinem, à conuersione sua integro duorum annorũ curriculo (b) videlicet Anno 1209. & A. 1210.

a S. Bonau. de Vita Christi cap. 78. Iust. Lip. de Cruce Christi lib. 3. cap. 13. Bosius de Triumpho Christi lib. 1. cap. 6. Arbor. de signis S. Crucis cap. 36.

b Theat. Seraph. Spect. 1. fol. 234.

1210. vſum baculi non abdicauit, ſed retinuit, quia verò vitæ Apoſtolicæ ſuam adamuſſim conformare ſtuduit, elapſo illo biennio, & baculum abiecit, ſuæque vitæ ſequacibus lege poſitiuâ inhibuit nè baculum deferent in via, debilibus exceptis, & languidis. Et quamuis vir Apoſtolicus Scipionem è manibus dimiſerit, lignum tamen in quo Saluator noſter pependit, in cordis radicibus profundiſſimè fixum retinuit. Indè tantùm ſe in amara Chriſti occupabat paſſione, vt nihil aliud meditari, loqui, & deſiderare videretur, quàm Chriſtum Crucifixum in ſuo corpore expreſſum circumferre, cuius ardentiſſimis votis Clemētiſſimus IESVS benignè annuens, admirando, & nuſquam retroactis ſæculis audito prodigio, ſua Sacratiſſima quinque vvlnera cum ea vehementia doloris, in eius palmis, latere, & plantis expreſſit, prout ipſe dum Cruci affigeretur pati dignatus eſt.

Senſit

(a) Senſit exindè Pater Seraphicus toto illo biennio acutiſſimos dolores, & grauem corporis debilitatem, quę eum adeò imbecillem reddebat, vt denuò ad ſe ſuſtentandum, commodiùſque ambulandum ſcipione vti cogeretur. Reaſumpſit igitur vſum baculi, ſed de quercu, vt nimirum videndo lignum hoc, quod manibus gerebat, mentis quoq; oculos mox reflecteret ſuper lignum illud in quo Redemptor Mundi perditi hominis amore, inter amariſſimos cruciatuum dolores ignominioſiſſimè expirauit.

CAP.

a *Chron. Min. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. *Piſan. Confor. par.* 2. *fruct.* 3.

CAPVT III.

De Tuguriis, & casis humilibus, quas libenter Vir Sanctus incolebat.

AMabat semper profundæ humilitatis sectator FRANCISCVS, tuguria, & domos humiles, vimineo maximè opere cōstructas, quas libentissimè inhabitabat, Regum Regis ductus exēplo, qui carnem indutus humanam, pro regalibus solijs vilissimum stabulum, suo natali eligere dignatus est. Et eá occasione consueuit Pater Beatus loca amica mœroribus quæritare, vt suum IESVM liberiùs plāgere, & coram eo cor suum effundere valeret. Igitur à suis interdum se subducebat, & vno dumtaxat fido comitante Achate solita reuisebat tuguria, vt solus, soli Deo, purá mente, & integro corde liberiùs vacare posset.

Igitur inter cætera tuguriola, quæ ei passim in Italia familiaria erant, vnum

præ-

præcipuè in Prouincia Tuſciæ pone Ciuitatem Senarū (a) in Rauacciano (quod hodie LOCVS AD ARBOREM appellatur) adamauit. Erat illud tuguriolū quondam paſtoricium (b) pro capiendo ſuo (vt aiūt) Menalca pecudibuſque ſuis, vndè etiam territoriū illud etymologicè à patriæ colonis, linguâ vernacula *capraia* eſt nuncupatum, eò quod ibidem frequētes caprarum paſcebantur greges. Ideò autem B. FRANCISCVS illuc ſe libenter conferebat, ſiquidem locellus ille viuam ſpirabat Eremum, mixtis videlicet ſæptus erat arbuſtis; & raris paſſim circumdatus quercubus; proximuſque ipſi Ciuitati Senenſi; quem Dominus Bonauentura Senenſis (cuius familiæ is fuerit in nullo reperij Hiſtoricorum) circà Annum Dom. 1216. Beato FRANCISCO habitandum obtulit.

CAPVT

a Piſ. lib. 1. *Confor. fruct.* 11. *Maſſic. de Arb. diſc.* 4. *fol.* 69.

b Spec. Vita S. Franc. cap. 10.

CAPVT IV.

De familiari eius cum Senensibus conuersatione.

POstquam noui Incolæ FRANCISCI habitatio Senensibus innotuisset, cęperunt eum singuli velut hominem alterius sæculi venerari, eiusque salutiferâ conuersatione plurimùm delectari. (a) Inuisus proinde à quodam è Diui Dominici familia viro, scientia simul, ac probitate claro, ab eoque inter cæteras spiritales collationes super illo scripturæ textu declarationem rogatus (b) *Si non annuntiauero impio impietatem suam, animam eius de manu tua requiram*: *Noui*, inquit, *bone Pater multorum res in malo versari statu, quibus non annuntio impietatem eorum, nunquid de manu mea ipsorum animæ requirentur?* Quem FRANCISCVS modestiùs compellans: *nosti me* (inquit) *idiotam, & Scripturarum*

vltimum

a Rudol. Tossin. hist. Serap. l. 1. c. 11. b Ezech. c. 3.

vltimum interpretem, expedire mihi videtur, vt ego à te, tanquam Theologicæ facultatis professorem, quam tu à me super huiuscemodi ænigmatibus erudiaris, tuâ veniâ desine mihi esse molestus, sed repetitis precibus irritans Beatum Theologus ille: *memini fateor, varias variorum in Ezechielem Commentariorum me euoluisse sententias, tuam præ cæteris maximè cupio*. Ad quem humilimus FRANCISCVS, *quandoquidem instas & importunè vrges, lubens obedio, audi quid ego sentio: Seruus Dei sic debet vita & Sanctitate in se ipso fulgere vt luce exempli omnes impios reprehendat sic inquam splendor eius, & odor famæ ipsius, annunciabit omnibus impietatem eorum*, quibus auditis Doctor ille stupore velut attonitus ad socios Sancti: *verè Theologia Patris vestri puritate ac contemplatione, tanquam alis in altum subuecta est aquila volans; nostra verò scientia ventre graditur super terram*.

(a) Eodem ferè tempore in Ciuitate

Se-

a *Ezech. cap. 3.*

Senensi seditionum; atque homicidiorū grandis exorta tempestas, bono publico graue minitabatur malū, ad quod auertendum amator pacis FRANCISCVS vrbem ingressus, concordi Ciuium plausu, magno Antistitis gaudio, tantoque populi gratulantis iubilo turmatim est exceptus, vt non terram plantis tangere, quā à plebe quodamodo deferri videretur. Cui silentio indicto, cùm multa luculenter de pacis bono dixisset, ità omnium animos ea persuasione flexit, vt singuli bella abiurantes in mutuam pacem, concordiamque ciuilem fœdere iurarint perpetuo.

(a) Moris erat Viro Apostolico in vinea Christi indefessè laborare, & prædicationis verba vbique gentium disseminare, vt tempore messis fructum reportaret centesimum. Discessit ergo vna dierum prædicandi gratia ex Senensi hospitio, qua

a Tass. Hist. Seraph. lib. 1. cap. 8.

quà vice præter habitum pallio amictus erat nouo, cui quidam pauper occurrit, cuius indigentia clementi oculo conspecta; oportet (inquit ad Socium) *vt reddamus mantellum isti pauperculo, nam ipsius est, mutuo enim illud accepimus donec pauperiorem inuenire contigerit*. Socius autem, qui tunc aderat F. Massæus pij Patris necessitatem considerans pertinaciter obsistebat nè prouideret alteri, se neglecto, at ille; *pro furto* (ait) *mihi reputo à magno Eleemosynario imputandum, si hoc quod fero non dedero magis egenti*.

(*a*) Senas verò redeunti inter Campilium, & S. Quiricum obuiæ ei fuerunt tres mulieres, amictu statura, & venustate per omnia sibi similes, nouum salutationis munusculũ FRANCISCO vno ore deferentes: *Bene veniat* (inquiunt) *Domina Paupertas*, quo dicto ex oculis euanuere. Is verò nunquam hactenus audita eiuscemodi salutandi methodo, magna spi-

ritus

a Chron. Min. par. 1. lib. 1. cap. 32.

ritus repletus eſt conſolatione, vt potē qui nihil vnquam magis in votis habuit, quam ſe pauperem vocitari. Interpretantur Ordinis noſtri Chronica, ſub apparitione illarum mulierum Angelos repræſentaſſe vniformem Euangelicæ perfectionis elegantiam, quæ fundata conſiſtit in tribus votis eſſentialibus, quibus ſe vinciunt viri Religioſi, nempe Obedientiâ, Paupertate & Caſtitate.

(a) Senenſis quidam Chirurgus Beato FRANCISCO multùm familiaris (cuius opera in tonſione interdū vtebatur) Virum Sanctum continuis precibus fatigabat, vt ſibi ſecretiùs reuelaret, vtrum vnus è numero electorum eſſet? cuius importunâ obſecrationum frequentiâ Seraphicus Pater victus, diuinò eruditus oraculo, cum Cœleſtis Aulæ candidatū pronuntiauit. Alium verò ſapientia turgidum humanâ, Theologiæ Magiſtrum Apoſta-

a *Barezzi in vit. B. Franc. cap.* 104.

Apoſtatam prædixit, quæ omnia rei euẽtus clariùs detexit, dum Chirurgus paucis euolutis menſibus, inter manus Religioſorum mundo mortuus cœlo viuere cæpit, & Doctor ille turpi lapſu corruens, Religioni ſanctæ terga vertit.

(a) Vnâ dierum Beato Patri propiùs domicilium ſuum Rauaccianenſe deambulanti Iuuenis quidam aucupio deditus fortè obuiam venit, copioſas Senas deferens vænales turtures, quas virorum mãſuetiſſimus compaſſiuo intuitus oculò pro innocentium volucrum libertate velut peroraturus Iuuenem affatus: *ò bone* (inquit) *Iuuenis, rogo te vt ipſas mihi tradas, nè aues iſtæ tã manſuetæ, quibus in Sacra Scriptura animæ caſtæ, & fideles comparantur, deueniant in manus crudelium occiſorum.* Quorũ verborum motus vehementiâ Iuuenis, omnes diuino Oratori reſignauit. quas pius Pater his verbis compellans ait: *O Sorores meæ turtures, ſimplices & innocentes,*

a Spec. Vit. B. Franc. cap. 29. mihi, pag. 157.

cur vos permisistis capi? ecce ego vos libero de morte; crescite igitur hic, & multiplicemini. Quæ velut rationes capaces, iussis Sancti Patris obedientes, galinis mansuetiores, in Fratrum cellulis nidulabantur, donec ab eo benedictione acceptâ fuissent manumissæ. Adolescens verò qui turtures obtulerat, augurante B. FRANCISCO paucis euolutis mensibus, è laqueis sæculi ereptus, mundo remittens nuntium, Religionis nostræ prçda factus; felix tandem auceps paradisi extitit.

(a) At non solùm familiaris conuersatio fuit S. FRANCISCO Senis, cum creaturis dono intellectûs prçditis, verùm etiam cum ipsis brutis. Accidit die quâdam circa habitationem suam numerosas capras, ingentemq; ouium gregem, vaga quæritare pascua; quas blandè vt solitus erat dum salutasset, relicto pabulo cursu concito omnes ad eum accurrere, erigentes capita sua, fixis in eũ luminibus, quod

ore

a Pisan. lib. 2. Confor. fruct. 1.

ore non poterant, totius corporis motu plaudere, & lætitiæ signa exhibere prætendentes, ex qua pecudum mansuetissimarum rara lætitia, tùm Fratres, tùm gregis custodes Beati Viri innocentiam commendabant.

(a) Eidem ægrâ valetudine prostrato, phasinus arte venatoriâ in ius acceptus à Nobile quodam Senensi dono missus est viuus, qui continuò vt Viri mansuetissimi vocem audijt, tantò societatis fœdere ei cohæsit, vt nullâ vi ab eo se diuelli pateretur, pluribus namque vicibus extra locum Fratrum in vinea positus, libertateque donatus rapido semper cursu redibat ad Patrem, quasi omni tempore ab eo educatus, dein cuidam viro consulto donatus, tanquam indignabundus Sācti Patris, ferens absentiam escam omninò recusauit omnem, donec eidem redditus, prætensis hilaritatis, & lætitiæ gestibus, auidissimè in cibum effusus est.

Varijs

a Idem ibid.

(a) Varijs ijsque continuis Vir Sanctus expositus erat ægritudinibus. Hinc inter cæteras corporis afflictiones oculorum se grauari dolore patienter interdum lamentabatur. Dum ergo solitam Senis habitationem incoleret, Medicorum cõsilio candens per tempora ferrum protractum ei fuerat absque omni læsione, aut tortura. O virum certè mirabilem, cuius nutui etiam ignis elementum suaui famulabatur obsequio!

(b) Denique molestâ pedum grauatus hydropisi, quæ ei sex ante ex hac vita felicem transitum mensibus acciderat, in supradicto Senensi Tuguriolo decubit, cuius certiores facti Assisinates, nuntios duce F. Elia Ordinis Vicario, Senas expediunt qui eum illinc auferentes in ædibus Episcopi Assisiensis collocarunt.

CAPVT

a Chron. Min. cap. 46.
b Pis. lib. 1. *Conf. fruct.* 11.

C A P V T V.

De loco, & tempore, quo B. FRANCISCVS sacris Stigmatibus est insignitus.

HIstorico Ordini insistendo, hæc Sancti Patris infirmitas cuius recenter memini, quæ ei ex hydrope acciderat, vltimo Historiæ loco recensenda erat, vt potè quæ ei vltimis vitæ euenit diebus. Cùm autẽ prędens discursus non se extẽdit ad totã vitã Viri Seraphici recensendam, sed tantùm ad describendum ORTVM & PROGRESSVM miraculosæ Arboris eiusdem Sancti, cuius occasione hanc scribendi sumpsi materiam, placuit proinde per transennam ea tantũ hic adiungere, quæ à B. FRANCISCO Senis gesta sunt, vt beneuolo Lectori innotescat, quam frequens cum Senensibus ei fueri fuerit conuersatio. Ergo ad rem.

(*a*) Celebranti S. FRANCISCO con-

 suetam

a S. Bonau. in leg. S. Franc. cap. 13. Pis. lib. 3. Conf. fruct. 3. par. 2.

ſuetam ad honorem S. Michaelis Archā-
geli in Monte Aluernæ Prouinciȩ Tuſciȩ
Quadrageſimam, & ſupernæ contempla-
tionis dulcedinæ abundantiùs ſolito per-
fuſo, ac cœleſtium deſideriorum flammâ
ſuccenſo, altiſſimæ bonitatis, ac clemen-
tiæ Rex Sæculorum Chriſtus IESVS,
quid prę nimia mutui amoris teneritudi-
ne dilecto ſuo FRANCISCO exhiberet?
ſe ipſum viuam in eo expreſſit imaginem,
ſignando ſibi illum quinque ſalutaribus
illis cicatribus, velut quinque ſigillis, &
amoris teſtibus ad imaginem quippè Dei
fecit FRANCISCVM amor diuinus
Anno reparatæ ſalutis milleſimo ducen-
teſimo vigeſimo quarto mēſe Septembri
feriâ ſexta ſurgente aurorâ circa feſtum
Exaltationis S. Crucis. Hac igitur amo-
ris arrhâ FRANCISCVS à Sole Iu-
ſtitiæ cœlitus ſibi inuſtâ deſcendit de
monte, tot votis expetitam ſecum defe-
rens Crucifixi imaginem, non in tabulis
ligneis, vel lapideis, ſed in proprijs carnis
mem-

membris descriptam digito Dei viui. Sensit exinde Vir Seraphicus cicatricum illarum acutissimos dolores, quæ frequentiùs viuum spargentes sanguinem à viribus alienum reddebant. Et hæc causa fuit reasumpti baculi, tanta videlicet corporis debilitas. Quamuis autem terrestris noster Seraphinus naturâ sic iubente debilem sortitus sit complexionem, quæ eũ multis infirmitatibus exponebat vexandum, non cessabat tamen soliciti Patris, & boni Pastoris partes agere, sed indefessò labore, animarum ductus zelo, Fratrum suorum Conuentus visitabat, Ciuitates, Castella, & Villas prædicando obibat, omnes ad pęnitentiã inducere & Christo, IESV per Euangeliũ gignere satagendo.

(a) Cum autem Sapientia æterna in ipsa sacrorum Stigmatum impressione Beato FRANCISCO multa reuelauerit, nulli sit dubium quin etiam tempus ei patefecerit, quo eum ad perennes illas nuptias amicissimè inuitauerit.

CAPVT

a S. Bonau. in leg. S. Franc. cap. 13.

CAPITVLVM I.

De Scipione, arido à S. FRANCISCO humi infixo, & in Arborẽ virentẽ transmutato.

SEntiens proinde Antesignanus noster, se corpore peregrinum à Domino, prænoscensque secundùm arcana interioris hominis monita, caducæ mortalitatis proximè deferendas exuuias, illo vltimo vitæ decursu, circumspectissimâ Ordini suo intendebat solicitudine, quem iubente Domino (a) Anno 1209. inchoauit, & approbante summo in terris Christi Vicario Innocentio III. Anno 1212. instituit, ac tandem eo, quo sacris Stigmatibus insignitus est Anno 1224. diplomate Apostolico ab Honorio III. confirmatum obtinuit, & ne quidquam eorum præter-mitteret, quæ ad integerrimam Ordinis sui

a *Rudolph. Toss. Hist. Seraph. lib. 1. cap. 3. & 4. Gabriel Faber Paris. in Spec. Franc. Relig. §. 1. fol. 9.*

ſui vigilantiam, ſolertiſque Patrisfamilias munus deſiderari viderentur: in ipſa extrema roboris ac virium inopia, quam ei tùm intenſus ſacrarum plagarum dolor; tùm alternæ ægritudines catenatæque intulerantſpœnitentiæ, Romam ſe conferrē diſpoſuit, (*a*) aditurus Dom. Vgolinū Comitem de Anagno S. R. E. Cardinalē Hoſtienſem ſui amantiſſimū, protectioni & obumbrationi eiuſdē ſurgentem Religionem, tanquam pupillam oculi ſui defendendam ac tuendam obnixè commendaturus, quòd colligere licet ex S. Patris familiaribus reſponſorijs liberis memorato D. Cardinali tranſmiſſis, quarum medulla eſt hæc (*b*) *che ceſſato il rigore dell'inuerno, e moderata l'indiſpoſitione degl'occhii, che l'affliggeua ſarebbe à Roma quanto prima ritornato*: mitagatà videlicet hyemis aſperitate, laxatoque grauiori oculorum

dolore

a Maſſic. de Arb. diſc. 4. fol. 67.

b Exemplar huius reperitur in Archiuio D. Edi Senenſis.

dolore, quantocyus Romam se reuersurum. Vtrum verò B. Pater ab impressione sacrorum Stigmatum Romana reuiserit limina, nullus omninò meminerit Historicus, iter tamen Romam versus eum aggressum fuisse ex enuntiata desumi potest Epistola, provt in suis Academicis lugubrationibus de eiusdem Sancti Arbore probabiliùs ratiocinatur Philomatus Massiccius; Seraphicum Patrē eo temporis inter sacras Montis Aluernæ cauernas cœlestibus vacasse otijs, vndè descendens Aretium, indè Senas se contulit, vbi dubiâ post Solis occasum luce, Rauaccianensi suo exceptus tugurio Anno Dñi 1226. Mense Maio sex ante obitum mensibus, illum quò aliàs arduis itineribus assuetas, sed iam vacillantes fulgiebat plātas, illū quo hactenus incōcusso perseuerantiæ robore orationibus deseruientia, sed tunc nutantia consolidabat genua, illum inquam, quo totius exhausti corpusculi prostratas suffulciebat vires

humi

humi fixit SCIPIONEM,qui corruptionis nesciam FRANCISCI æmulaturus integritatem, noctis illius momento, naturæ leges raro præter gressus exemplo (*a*) radices sparsit, fronduit, viruit, ac in Arborem ingentem sese diffudit. Quam tali portento natam vbi primum fulmine ocyor fama, Senensibus nuntiasset, mox vniuersa, qua data porta, foras ruit Ciuitas, admirari, & certatim tangere anhelans cœlestis illius Agricolæ manu plantatam Arborem, omnibus sanctam; omnibus cœlitus datam prædicantibus, & humilis FRANCISCI laude perenni venerandum nomen ad sidera tollentibus.

CAPVT

a Bart. Pis. lib. 1. par. 2. fruct. 11.

CAPVT VII.

De fama Arboris, & deuotione quàm erga Franciscanos Conuentuales Senenses conceperunt.

COEpit exinde fama Arboris longè latèque se diffundere, cœperunt & Custodes Arboris, nouellæ Minorum plantæ, bonus Christi odor esse in omni loco, primogeniti videlicet Seraphici Patriarchæ FRANCISCI Filij, qui post pretiosam morrem sui Patris, numero & integritate vitæ in præfato crescentes tugurio, Deo & hominibus dilecti, omnium in se corda animosque facilè rapuère, & à pijs Benefactorum manibus vitæ sustentandæ alimenta recipientes, fructum conuersationis suæ afferebant centesimum, quorum vitæ integritatem, rectamque conuersationem (a) pijssimus Senatus, Populusque Senensis demiratus in

a Massic. de Arb. disc. 4. fol. 69.

in illud vnum, mentis aciem intendere & opera curare cœpit, vt nimirùm nouæ FRANCISCI Soboli, capacior excitaretur ſedes & opportuna alimoniæ inſtitueretur ratio. Quapropter & Senenſium pietate, & Minorum Religioſorum vitæ ſanctimonia motus, felicis recordationis Gregorius IX. Eccleſiam Parochialem S. Petri ad portam Ouilem nuncupatam, nouis Incolis Bullæ ſequentis fauore, atque auctoritate inhabitandam concedere dignatus eſt,

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

VENERABILI EPISCOPO SENEN. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

a *DIlecti Filii Fratres Minores Senenſes nobis humiliter ſupplicauerunt, vt cùm eorum locus, in quo morantur eorum habitationi non*

a *Bulla reperitur apud D. Celſum Cittadini.*

non modicum ineptus existat, ipsique ad Ecclesiam Sancti Petri Ouile Senensis, quæ in hoc eis aptior reputatur cupiunt se transferre, ipsis, per te eandem Ecclesiam assignari faceremus. Volentes ergo prædictos Fratres quantùm cum Deo possumus Apostolico fauore fouere, Fraternitatē tuam monemus, rogamus, hortamur, attentè per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus Presbyteris in ea existentibus, in æquiualenti, vel meliori alteri Ecclesiæ beneficio prouidere, ac eius Parochianos, & alia bona, ipsius alteri Ecclesiæ prout secundùm Deum expedire noueris deputare procurans dictam Ecclesiam S. Petri cum platea ante illam posita tantùm de ipsius vinea, quantùm dictis Fratribus ad hortum faciendum sufficiat, diuinum retributionis obtentum, & ob reuerentiam Apostolicæ Sedis, & nostram, liberaliter conferas ac libenter. Ita quod ex hoc deuotionem tuam non immeritò possimus commendare. Datum Romæ vi. Kal. Nouemb. Pontificatus Nostri Anno X.

(a) Ego

(a) *Ego Restaurus Notarius, quidquid superiùs continetur vidi, & legi in Authenticis literis Domini Papæ Greg. IX. bullatis, bullà plumbeà pendenti; in qua ex vna parte erant capita BB. Petri, & Pauli cruce mediante, & quidem literæ superiùs existebant sic S. Pe. S. P. & ex alia parte sic dicentes Greg. PP. IX. Et quidquid in præfatis continebatur, nullo addito, vel minuto præter signum & subscriptionem meam hic fideliter scripsi. Et exemplum apud Magnificum Reinerum Iudicem Ordinarium, quondam Matthæi præsentem & suam auctoritatem interponentem Benedicti Ammirani Notario, & Ildobrando quondam Dño de Sabia, rogatis & præsentibus in Anno Domini Millesimo ducentesimo trigesimo sexto, Inditione primà die quarto Idibus Nouembris, & ad maiorem fidem habendam his publicè subscripsi.*

Questa è la copia del Breue Apost. ò Bolla piõbata di Papa Greg. IX. della cõcessione del luogo loro a Frati Min. Conuẽt. di S. Franc. di Siena.

CAPVT

a *Archiu. Senensis Conuent. S. Franc.*

CAPVT VIII. (a)

De Erectione, Reparatione Conuentus Senensis, eiusdemque Templi incendio.

HVic igitur fundamentali lapidi, qui à Domo Dei initium habitationis nostræ auspicatissimis sumpsit ominibus (a) piissima Senensis Respublica tūc florentissima, omnia promptè adiecit; & publico minimè parcens æri, in loco vbi S. Petri Parochialis erat Ecclesia, sub S. Frāncisci inuocatione, Templum (parum abfuit, quin Basilicam insignem dixerim) Templum inquā situ, structurâ, impensâ amplitudine murorū sublimitate, ornatu picturarū artificiosissimarum venustate, cæterisque omnibus quæ celebritatem, ac laudem insignibus conciliant ædificijs vsui Franciscana nostræ familiæ à fundamentis excitauit. Porrò Cænobium post

modum

a Massic. de Arb. disc. 4. *fol.* 69. *Diar. Sen. in Annum* 1236.

modùm inſequentibus ſæculis temporũ iniurià, partim ruinam minitans, partim verò collapſum (a) P. Mag. Sanſon Senē-ſis totius Ordinis Generalis Miniſter, ſuo decori reſtituit, ac tandem (b) Hieronymus Picolomineus Epiſcopus Pientinus IV. in ipſo aditu Monaſterij clauſtrum vetuſtate dirutum, laudabili ſui, ſuorumque memorià renouauit vbi in hodiernũ vſq; diem fauente Cœlitùm protectione, & pià Populi Senenſis humanitate pacificè degimus.

Tunc verò temporis noſtra hæc Eccleſia atq; Cœnobium non intra Vrbis mœnia, ſed extra erant, vt intra ſint, Pij II. æternæ memoriæ Pontificis, (qui verè Pater Patriæ dici poteſt) munificentia factum eſt. Is enim vt paterni in Patriam ſuam amoris, præter alia multa, hoc etiã non leue argumentum daret, Ciuitatem amplificare in animum induxit, atque ità

 mœnia

a Conuentus Sen. reſtauratur Anno 1486.
b Ambitus primus renouatur 1517.

mœnia protendit, vt intra ea & Franciscanæ familiæ Cœnobium (vt nunc est) & plura alia comprehensa fuerint. O Pontificem verè munificum, verè amantem, opere Patrem! ô Pium verè pium! Hac Vrbis amplificatione, pietate in Patriam, & in Parentes se insignem ostendit, nam intra mœnia Franciscano comprehenso Templo, factum est etiam, nè tanti Pontificis Parẽtum ossa in eo sepulta à Patria quodamodo exularent. Iam charissimos in Parentes Pius tumulum nostro in Tẽplo ad instar Castri doloris, sublimibus elatum columnis eorum cineribus statuerat, & ad suæ in eos pietatis testimonium, elegãs illud tumulo inscripserat epicediũ:

Siluius hìc iaceo, Coniux Victoria mecũ est,
Filius hoc clausit marmore Papa Pius.

Cur non etiam hoc ederet præclarissimum, pietatis in Parentes exemplum, vt patrios, nimirum intra muros eorum cineres conderentur velut postliminio redeuntes?

Sed

Sed proh dolor! Anno à Partu Virginis M.DC.L V. decimo kalend. Septẽbris post celebratas defuncti vnius, è Nobili Orlandinorum familia nostra in Ecclesia exequias, festino sacræ supellectilis Custodũ ministerio, in scrinia cõgestæ faces, dũ ab incautis extinctæ credũtur Ædituis, nocturnas inter tenebras ignescunt;

(a) Scintillasque agere, & latè differre favillas Incipiunt ———

Ignem scrinia arcæque concipiunt, coruscant flammæ, tota sacra supellex, & ea quæ pretiosiora aderant omnino in cineres cumulantur. Sed his pabulis haud saturę voraces flammæ, intra sacrorum ambitũ contineri detrectant, egressum moliturae, ac tentaturæ, in ipsas sacras fores insiliunt, eas incendunt continuò, atque exurunt. His absumptis igni patet in Tẽplum aditus, flãmæ, quà datà portà ruũt, Templum totum rapidè, atque hostiliter aggrediuntur. quid tunc illud Nasonis vsurpare liceat.

Cuàm ... (a) Ae-

a Lucret. lib. 2.

(a) *Accensa est flamma, apicēque per äera duxit*
(b) —— *exuperant flāmæ; furit æstus ad auras*
(c) —— *aggestis rutilant altaria flammis,*
(d) —— *collucent flammis mœnia,*
—— *flammœque furentes.*
(e) *Culmina perq; hominū; voluūtur perq; Deorū*
(f) *celerī flammā degustant tigna ignes.*
(g) —— *agilis flāma altas percurrit trabes.*

(h) Ignes procudunt ignem, vniuersæ propè augustissimi Templi partes confla-grant. Ex conflagrantis Templi culmine, flammas iaculari quodamodo cœlum videtur, supernæ contignationis trabes ignitæ, imò in ignem conuersæ decidentes igniuoma fulmina, seù dyros ardentesque cometes referunt. Templi pauimentum ignis aggeribus, & prunarū aceruis flammarum inter globos vbique stratum, non fumantis AEtnæ, sed ipsius infernæ domus speciem præseferre credidisses. Hac conflagratâ nè maximæ quidem aræ pepercit ignis, sedilia ad Fratrū

no-

a 10. *Metamorph.* *b Virg. AEn.* 2. *c Stat.* 10. *d AEned.* 5. *e Virg.* 4. *f Lucr. lib.* 2. *g Senec. Hyppol.* *h Lucret. lib.* 2.

nostrorum Deo psallentium vsum desti-
nata mox inuadit, flammasque flammis
aggerit, hic neque cineribus abstinet, vel
in cineres ipsos desæuit, & vt cineres
ignescant, in cineres rursum abituri, nimi-
rum etiam celeberrimum Mausoleũ pie-
tate Summi Pont. Pij II. de quo iam me-
mini, Parentum cineribus excitatum in-
cendit, atque adeò absumpsit, vt nullum
vestigium præter id, quod à tergo maioris
aræ, candido incisũ marmori visitur, om-
ninò superfuerit. Ab igne sepulchrũ in-
uadente, sepulchrum, in quo extinguatur
quæri putares, sed neque in sepulchro,
sepulchrum inuenit; nec inter cineres ci-
nesit, & qui è funere natus est, neq; inter
funera aut sepulchra funus reperit, aut ex-
tinguitur. Is fuit flammarum atque ignis
furor, vt nulla tam ampli ædifici) pars ser-
uanda fuerit, nisi Serenissimi Principis
Matthiæ Medicei, qui tunc Senensis Ci-
uitatis præerat regimini, pietas, ac prudẽ-
tia præsto fuissent, eius enim factum fuit
opera, atque ope, vt S. Antonij Patauini

ædes ſtatuta nomini, illæſa permanſerit, & ea pars crucis Eccleſiæ, quæ à dextro latere ſita eſt baccantium flammarum, & ſæuientis ignis furorem non ſenſerit, Conuentuſque fabrica tantùm inter incendium intacta permanſerit. Pabulo igitur deficiente, defecit flamma, O quàm verè adagio dicitur: Parua ſæpè ſcintilla contempta, magnum excitauit incendium! (a) Fuit Ilium & ingens gloria Teucrorum, agebat gemens Panthus apud Maronem Mantuanum, ità tunc nobis gemebundis ac triſtibus dicere licuit: Fuit ampliſſimum FRANCISCI ſacro nomini templum, & ingens gloria Minorum Conuentualium, in Templo, (quod omnium ore, aut veriùs ſilenti vniuerſorum admiratione laudabatur) diuini Numinis cultui vacare: Sic noſtrates vt reor conflagrati Templi dolebant, ac deflebant vices: ſed Dei pietate, cuius proprium eſt vulnerari ac mederi factum

a *AEneid.* 1.

factum est, vt Pietas manusque auxiliatrices Religionis nostræ, ambustum templum ita instaurarint, vt non modò pristino restitutum sit decori, sed etiam plurimùm maiestatis, amplitudinis, ác venustatis omnium calculo sit assecutum; sed iam eò, vndè diuertimus redeamus.

C A P V T I X.

Qualiter locus Arboris, à diebus S. FRANCISCI, ad hæc vsque tempora, à Franciscanis Conuentualibus semper cultus sit.

POstquam ex angusto illo tuguriolo Rauaccianensi, ad nouum Sancti FRANCISCI Conuentum ampliorem & longè capaciorem nostri sese transtulissent, memores primæ humilitatis (quæ Religioni toti, gloriosam peperit magnificentiam) Superiores nostri, locellum istum semper venerati sunt, collocantes in eo, vnum Sacerdotem, vel Fratrem

Laicum ætatis prouectioris, vitæque probatioris. Erat autem eo tempore ædicula sacra, iuxta nostram ILICEM, viuam spirans paupertatem, in qua certis tantùm hebdomadæ diebus, sacrum Missæ offerebatur Sacrificium, vt autem singulis hebdomadæ diebus, Sacratissimæ illius Dominicæ Cœnæ ibidem recoleretur memoria, deuota Seraphici Patris cliens infrascripto sanciuit monumento, quod in nostra Senensi Basilica ad ianuam Sacristiæ pario incisum marmori sic legitur:

D. O. M.

D. O. M. A.

VIDVA MVNDO, SED SPONSATA COELO ADHVC VIVENS MORTIS MEMOR, MARGARITA BILLO, NOBILIS SENENSIS, SERAPHICI PATRIS FRANCISCI DEVOTIONI INNIXA, VT QVOTIDIE, ET IN PERPETVVM IN EIVSDEM AEDICVLA PROPE SENAS, VBI SANCTVS BACVLVM IN TERRAM FIXIT, ET MIRACVLOSE IN ARBOREM CREVIT, IPSIVS TANTI PATRIS FILII MINORITAE CONVENTVALES CIVITATIS SENARVM SACRVM FACERENT FVNDVM ELARGITA EST, CVM RECADVCITATE AD DIVAE MARIAE DE PROVENZANO CONTRAFACIENTIBVS P.P. VT LATIVS IN INSTRVMENTO SVB ROGITV S. FRANC. CORAZZI IV. KAL. MAII M.DC.IL.

Addi-

Addidit quoque Ecclesiolæ isti eximiū decorem P. Mag. Franciscus Valentini à S. Quirico Guardianus Senensis, qui eam vetustate obfuscatam, rimisq; fatiscentē instaurauit, & nouâ, marmorato opere cōstructâ arâ adornauit (*a*) celebratisq; Senis comitijs Prouincialibus, cōfluentibus ex Alma Tusciæ Prouincia 260. Viris Religiosis, & sex diuersarum Prouinciarum Prouincialibus Ministris, præsidente Capitulo Reuerendiss. P. Martiale Pelligrini de Castrouillarum Ordinis Ministro Generale, solemni apparatu, publicam per Vrbem Supplicationem instituit, deferri procurando recenti opere sculptum Sācti FRANCISCI simulachrū in Altari memoratæ Ecclesiæ ad Arborē collocandū, comitantibus totius Capituli venerandis Patribus, magnoq; Populi Senensis concursu. In hac etiā sacra æde, magni ponderis, & coloris papauerei visitur saxum parieti insertū, quod B. Pater pro ceruicali suo supponebat capiti, dū breues interdū capiebat somnos.

CA-

a Capit. Prou. Senis Anno 1675.

C A P V T X.

De deuotione, & concursu Populi ad Arborem.

a VIrga, seu baculus, quem S. FRANCISCVS terræ infixit, vnius & medij cubiti longitudinem non excedebat, ex quo noctis vnius spatio venustissima ILEX creuit. Est autē Arbor ILEX species quercus, glandes ferens paruulas, parte vnâ oliuæ pallentis, alterâ lauri virentis folia æmulatur, viretque hyeme & æstate. Ad hanc igitur Arborem non tā proximi incolæ, quàm ex remotioribus Italiæ partibus, quidam deuotionis, quidam piæ curiositatis causâ ventitabant, qui verò ægrà valetudine laborabant, tāquam ad pharmacopæam cursitantes, folia, ramusculos, & corticem ex ea scindendo, pulueremque inde excitando potui admixtum sumebant. Alij putores suos folijs extergentes, ijsdem cicatrices pro

a *Massic. de Arbor. disc. 5. fol. 93.*

pro ſaluberimis medicamentis circumligabant, alij autem quibus integra fuit valetudo, ramos cædẽtes Roſaria, Coronas, Cruces, & his ſimilia pietatis arma formabant, magnum ſe arbitrati poſſidere theſaurum, ſi vel minimum quid, prodigioſæ Arboris aſſequi valerent, & ſic fiebat diebus quaſi ſingulis, illæſâ Arboris venuſtate.

C A P V T X I.

Cælitùs punitur Ruſticus, manus irreuerentes venerandæ Arbori iniiciens.

VT ex cordibus omnium dubij eradicetur næuus, Arborem noſtram nõ humanâ, ſed cœleſtis Agricolæ manu plantatam, rigatam, & augmentatã fuiſſe, cœlum ipſum teſtatum eſt, quod contumelioſè Seraphici Patris ILICI illatas iniurias vlciſci cernimus.

Anno 1453. Senatum Ciuitas armato

preſſa milite, communes quas bella ferũt paſſa eſt calamitates (bella enim nunquã ſunt bella) Vniuerſa milites deuaſtabãt, cunctas cædebant inter cœtera plantas, nulli pepercerunt arbuſto, omnia circũquaque, radicitus euellebant virgulta, noſtram tamen venerati Arborem illæſam reliquere.

(a) Vicinus autem neſcio quis ruris colonus, eadem ferreà belli tempeſtate, ſentiens ſe extremà lignorum inopià premi, nec reperiens vbi vel fruticem ſuccideret, in Arborem venerandam omni poſthabito timore ictibus validis ſæuire incepit, cuius ingentem temeritatem, è militibus quidam, qui non longè aberant redarguentes, illam eſſe S. FRANCISCI Arborem, repetitis vocibus inclamabant. Verùm Ruſticus nihilo mitior laxatis linguę habenis petulantiùs reſpondit; *Se San Franceſco haueſſe tanto biſogno di legna, quanto ne ho io, ſarebbe peggio di me*. Ideſt ſi Sanctus FRAN-

a *Maſſit. de Arb. diſc. 6. fol.* 102.

FRANCISCVS pari lignorum laboraret penuriâ, deteriùs me, Arborem suam contrectaret. Rem miram! vix impia euomuit verba, cum ecce tibi, ab irato ruens fulmen cœlo, eũdem inibi extinxit. O verè Arborem cœlitùs datam, verè venerãdam! pro qua cœlũ ipsum fulmineis pugnauit armis. Vndè quidã Hetruscus, Arboris insignis cecinit O Encomiastes:

(a) *Per te guerreggia il Cielo*

Tronco germe immortale.

Pro te fulmineis confligunt sidera telis,

Planta immortalis ——

Et hæc potior causa fuit, cur Arbor ista trecentorum annorum spatio, integra permanserit, nam immane supplicium de impio agricola cœlitùs sumptum, pietatẽ in Arborẽ vniuersos edocebat, ita vt deinceps summi infimiq; eam reuerentes, discretà ducti deuotione, ramusculos, & folia eius decerperent. Pia namq; omniũ vna erat opinio, si quis illam iniuriosè contrectaret, impunitus non recederet.

CAPVT

a *Massic. de Arb. disc. 6. fol.* 102.

CAPVT XII.

De variis Arbori illatis iniuriis.

TEmporis successu sensim sinè sensu pœnæ (quam miser rusticus morte exoluit fulminante) obliti homines, venerationem, quà in FRANCISCI ferebantur Arborem exuentes, plusquam temerariâ induti audaciâ, non folia cùm timore carpere, non ramusculos reuerenter scindere, verùm securibus, & ligonibus contra innocentis Patris ILICEM se armauere, adeò eam confringentes, & discerpentes, vt non venustæ plantæ (a) sed nodosi trunci similitudinem æmulari videretur. Quamobrem visum fuit Superioribus nostris, apicem illius paruo operire tecto ad arcendas ab ea aëris iniurias, nam pluuiæ, Arboris medullam penetrantes, ad putredinem & corruptionem eam disponebant, & vt maiori pro-

a *Idem disc. 4. fol. 71.*

tegeretur tutelâ, neuè hominū indiscreta, pietas; seù veriùs temeritas, in eam petulanter atque immaniter desæuiret (a) Reuerendissimus atque Illustrissimus Dom. Camillus Burghesi felicissimæ memoriæ Archiepiscopus Senarum, publicū in eos excommunicationis vibrauit iaculū qui sine sua expressa facultate, deinceps præsumerent, vel minimum de nostra ILICE demere folium. Verùm licet eā Religiosi nostri ab iniurijs aëris tecto, & D. Archiepiscopus Excōmunicationis præsidio defenderint, non valuerunt tamen eā à quarundam manuum minùs Religiosarum (quarū hic nomen modesto prætereo silentio) crudelitate defendere: (b) quæ altissime noctis silentio Arborē furtiuè aggressæ frustatim discerpserunt, diuiserunt, & radicitùs euellere attentarunt, omnem mouentes lapidem, monumentum istud Fraciscanis Cōuentualibus perpetua obli-

uione

a *Massic. disc. 4. fol. 72.*

b *Annales Conu. Sen. 1613. Massic. de Arb. disc. 4. fol. 75.*

uione auferre. Hi inquam venuſtiſſimã Arborem nõ ſolùm natiuo decore exuerunt, verùm armis inuidiæ, vites impietate miniſtrante, omninò excorticarunt, atq; comminuerunt, vt non venuſta plãta, aut ſelecta ILEX, verùm nuda pertica à tranſeüntibus indigitari potuerit. Quos irreuerentes, violenteſq; tumultus ægriùs ferentes noſtri ex tam procera Arbore truncum tantùm remanſiſſe, ſed nè & is clàm ſuccìſus furtiuè auferretur, conſultiùs viſum fuit, reliquum illius ſuccidere & ad Conuentum in Vrbe ſitum deferre. Ergo nec mora: P. M. Iacobus Leoni de Plumbino, eà tempeſtate Hetruriæ Miniſter Prouincialis de i)s omnibus, quæ in S. Patris Arborem hominum temeritas attentarat, Reuerendiſs. P. Bagnacauallo Ordinis Miniſtrum Generalem certiorẽ reddendo, facultatem petijt truncum ſuccidendi, eà obtentâ, quidquid reſiduum Arboris ſupererat, relictis tantùm ſolo radicibus, eſt ſuccìſum, & in Baſilica noſtra Senenſi ſub Ara maxima collocatum.

D CAPVT.

CAPVT XIII.

De duabus nouis plantulis, quæ ex radicibus miraculosæ Ilicis pullularunt.

SVccisâ adeò venerandâ, adeò salutiferâ S. FRANCISCI Arbore, quæ quadringētis penè annis semper venusta, semper virens, famaque celebris steterat, non mediocres Senarum populi miscebant querelas, quòd sublata sibi tam salutifera planta fuisset, cuius beneficio febricitantes vires, languentes robur, debiles vigorem, supercilio læsi, claram oculorū aciem, membrisq; corrosi integram cōsequebantur sanitatem. Ibant hæc lamēta vicatim per totā Tusciam, quæ eo vsq; se diffunderunt, vt vel intimas Principū aulas peruadentes, auribus etiam (a) Serenissimæ Christinæ Magnæ Ducis Hetruriæ innotuerint, quæ vti mirificâ semper in Seraphicum Patrem claruit pietate, ità benedictæ Arboris intimè compatie-

batur

a Massic. de Arbore disc. 4. fol. 74.

batur excidio. At non lapſo luſtro, qui ſolo verbo reſtaurat vniuerſa reſtaurauit etiam Arboris Franciſcanæ ruinam; reſtaurauit inquam abundanter, nam ex radicibus ſublatæ Arboris, geminæ pullularunt nouæ frondentes ILICES, quas vbi natas gratiſſimis nūtijs læta accepiſſet Dux Sereniſſima, extemplò peritiſſimos conquirere Agricolas, plantarumq; cultores ſeriâ imperauit diligentiâ, vt ſcrutarētur, quærerēt, & rimarentur, nū iſtæ geminæ plantulæ ex proprijs antiquæ Arboris prodijſsēt radicibus, qui peritiſſimi plantarum Sophi, ex genuinis, & proprijs antiquæ Arboris radicibus verè pullulaſſe, examine rigoroſo, & ſcrutinio ſolemni præuio coram antedicto Senarum Præſule(a) qui rei huic ſedulò intendebat iureiūrando teſtati ſunt. Sed, (bone Deus!) quid opus tanto examine? quò tantum ſcrutinium? Diuinæ enim nihil implicabat potentiæ. Nam ſi cœleſtis ille Agricola cuius imperio obediūnt omnia, pro-

D 2 ducere

a Maſſic. ibidem fol. 75.

ducere potuit ex árido amici sui FRANCISCI stipite tantæ proceritatis stupentitus naturæ legibus Arborē, potuit vtique ex materia disposita, & ad germinandum proportionata, has gemellas, & plures produxisse ILICES; nemo igitur hanc mutationem dexteræ Excelsi miretur. Habita itaque fundamentali, authentica, & fide dignissima relatione antedicta Princeps, sorores plantulas verè prodijsse ex radicibus primæ miraculosæ ILICIS, pari veneratione eas prosecuta est, ac ipsā priorem, moxque mandauit earum alteram, illum transplantari in locum vbi Sāctus suum fixit baculū, ex quo illa vetus prodijt, quæ hodiernum vsque in diem viget testis venerata, cuius effigiem, totiusque humilis ædificij compendiosum ordinē æri incisum, quoad potui ad viuū expressi, & piæ oblectationis causa ob oculos hic posui.

Sociam verò remotiùs plantari iussit seuerum illudq; (a) sub pœna capitis eden-
do

a *Massic. de Arb. disc. 4. fol. 75.*

do publicum decretum, quicunque surgentibus plantulis, vel minimum auferre, attentaret ramusculum. Atq; ad arcendum ab eis liberum tritumque aditũ, muro eas cinxit, quæ cœlesti rore, astrorumque suaui obsequio vegetatæ in venustas, & proceras, non dissimiles priori creuerunt ILICES.

CAPVT XIV.

De Trunco ex Ecclesiæ S. FRANCISCI ad Palatiũ Serenifs. Principis Leopoldi delato.

CErnentibus vniuersis diuinæ prouidentiæ abundantem liberalitatẽ in vnius sublatæ Arboris locum, gemellas substituisse ILICES, noua in veterem S. FRANCISCI inibiantur consilia, qui licet sub Altari maiori, debita in veneratione plurium annorum curriculo asseruaretur, nullarum indigus excubiarum, tàm ab iniurijs aëris, quàm à rusticarum,

&

& violentarum manuum iniectione tutissimus, nihilominus nouum, & peius prioribus, hospitiũ suum ei minitabatur exitium, metuens igitur (a) Reuerendiss. P.M. Io: Baptista Berardicelli totius Frãciscanæ Conuentualiũ Familiæ Minister Generalis, ne hoc venerandum lignum in lanuginem, & putredinem, ob loci in quo asseruabatur humiditatem redigeretur, sicque omnis illius memoria suo funeraretur in cinere, statuam S. Patriarchæ FRANCISCI ex eo sculpendam fore meditari cœpit, quod eò alacriùs proindè est executus, quò ad id optimi, ac pijssimi consilij Sereniss. (a) Principis Leopoldi Medices (qui tunc Senarum gubernio sapientissimè præerat) est incitatus ad cuius pias preces, seù veriùs sanctissima iussa remotus fuit venerandus stipes ex Diui FRANCISCI delubro, & ad ædes memorati Principis delatus, qui accitis artis sculptoriæ Primipilis, sculpendam iussit Minorum Patriarchæ statuam, quam affabrè

a *Orig. Mirac. de Arbore S. Francisci.*

fabrè excisam solemni & publicâ Processione institutâ, è suis Palatijs ad nostrum Templũ magno populi concursu comitãte, & gratiâ miraculorum Sancti coruscante, in Ara nomini eiusdem Seraphici Patris dicata, reuerenter collocandã statuit, quam etiã hodie, cuncti fideles summa veneratur pietate. AEquum profectò duxit Principium prudentissimus, vt Scipionis tam prodigiosi memoria existeret apud eos perpetua, quibus eum iure hæreditario, tanquã Filijs Pater reliquit. Stipulæ verò & reliqua pars ligni, quæ ex fabricata superfuere statua, ità digestę sũt vt pars eorum ab ipso Principe, antedicto Generali Berardicelli in arca (a) proprio sigillo munita, sit transmissa. Pars verò familiaribus suis, Nobiliorisque Ordinis Proceribus, ac Dynastis ab eodẽ Sereniss. sit cõmunicata. Sunt præterea participes facti ligni huius disideratissimi diuersi status ac conditionis mortales, quorũ vnusquisq; magna illud prosequebatur deuotione.

CAPVT

a Orig. Mirac. de Arbore S. Francisci.

CAPVT XV.

Quomodò socia ilex ad pias Senensium preces sit succisa.

SEptæ igitur prouido beneficio Magnę Ducis Hetruriæ, & sagaciori nostratum custodiâ munitæ Sorores ILICES, magnum sui in animis hominum excitauere desiderium, & quia non amplius cōmunes fuerant omnibus, quemadmodū earum Mater, ità communis omnium erga eas exarsit deuotio, vt non solùm Senenses, verùm etiam cunctæ conditionis, tàm intrà, quàm extra limites Italiæ summi infimique, ARBORIS S. FRANCISCI participes esse frequentibus votis exoptarint. Quare eorum deuotis ijsque importunis precibus, religiosâ satisfactione nostri obuiare, & maiorem venerationem erga Seraphicum Patrem, eiusque Arborem deuotionis fructum in animis fidelium innouare cupientes, alteram earum

rum, quæ remotiùs à ſocia planta ſteterat (*a*) ſucciderunt, & in plurima eaque notabilia diuiſam fruſta,in diuerſa Italiæ loca diſtribuerunt,ex quibus vnuſquiſque, erga qualem particulari deuotione ferebatur Patronum, talis tutelaris Sancti, ſibi ſculpi curauit ſimulacrum. Ne autem vllus ambigendi relinqueretur locus, quin cunctæ huiuſmodi Statuæ ex Sancti FRANCISCI cæſa ILICE,exciſæ fuerint ad Maiorem Dei Gloriam, & Seraphici Patris honorem cautum eſt, vt ex publico Inſtrumento ſub Rogitu Caroli Piochij Publici Senarum Notarij, & Archiepiſcopalis Curiæ Cancellarij, pateat vniuerſis.

a Socia Ilex ſucciditur Anno 1670.

CAPVT XVI.

De ligno S. FRANCISCI per diuersa Europæ loca deuotè delato.

ARduum adeò, ac perdifficile eſt, ad calculum reuocare ſingulas Prouincias, Regiones, Ciuitates, Fana, & Templa, Familias, ac Domùs, quæ tanti ligni ſe gloriantur potiri theſauro. Neq; enim tantummodò Hetruriæ populi, verùm etiam remotiſſimas Chriſtiani Orbis incolentes plagas, & quotquot ex totius Europæ regionibus Nobilem Senarum pertranſeunt Vrbem, aliquid ex Sancti FRANCISCI ARBORE, ad animarum & corporũ ſalutem conſequi, votis omnibus expetunt, & licet non vniuerſos, plures tamen ſui deſiderij compotes factos eſſe conſtat, quorum non grauabor nomina ſuccinctè hic inſerere.

Notabilem benedicti Ligni partem dono accepit Eminentiſs. ac Reuerendiſs.

Princeps

Princeps Cœlius Picolomineus Tit. S. Petri in Monte Aureo S. R. E. Presbiter Cardinalis, Senarum Archiepiſcopus vigilantiſſimus, ex qua eleganti opere ſculpi curauit inſignis illius humani generis Aduocati Sancti Antonij Patauini ſimulachrum.

Alterà imagine ex eodem ligno ſculpta, quæ Seraphicum Patrem FRANCISCVM repræſentat, potitur Reuerendiſs. P. Martialis Pellegrini, Vniuerſi Ordinis S. Franciſci Minor. Conuent. Miniſter Generalis.

Tertià Statuà, quæ exhibet S. Antonium Paduanum, gaudet D. Marchioniſſa Minerua del Monte Ottieri.

Eiuſdem Sancti quartam Effigiem piè veneratur, Illuſtriſſima Comitiſſa Iſabella Otteria de Aciaria.

Quintam Statuam pro ſua deuotione colit Perill. ac Gener. D. Marcus Antonius Amerighi repræſentantem B. Stanislaum Koſtka è Soc. IESV.

Sextæ, & Septimæ, quarum altera Seraphicum Patrem FRANCISCVM, altera S. exhibet Antonium, debitum duliæ tribuit honorem P. Mag. Innocentius Arsani Minor. Conuent. Socius Ordinis.

Octauæ, & Nonæ, quæ S. FRANCISCVM, & S. Claram repræsentant, Sancto obseruat cultu, P. Mag. Balthasar de Naro.

Decimam, & Vndecimã eiusdẽ Sãcti, ac Sãctæ debito colit honore P. M. Beri.

Publicæ verò deuotioni, quæ in Processionibus menstruis, occasione Confraternitatũ per nostri Ordinis sacra delubra celebrantur, exponuntur, infrascriptæ.

In Senensi S. FRANCISCI Minorum Conuentualium Ecclesia, publicè exponitur semel in mense Statua B. Virginis sinè labe conceptæ.

Altera ipsius B. Patris FRANCISCI.

Tertia, S. Antonij de Padua.

Quarta, S. Bernardini, quondam eiusdem Conuentus Filij.

Neapoli

Neapoli in illa celebri S. Laurentij nostra Basilica habetur S. Antonij Paduani simulachrum.

Castillione quod Florentinum appellatur, sunt Statuæ Immaculatæ Conceptæ B. Virginis, S. FRANCISCI, & S. Antonij de Padua.

Ilcineæ adest S. FRANC. simulachrũ.

Ecclesia S. Miniatis habet Effigiem sculptam S. FRANCISCI.

Ecclesia Lucciniana possidet Statuas Dei Matris Immaculatæ, & S. Antonij Paduani.

Conuentui Montis Varchij donatæ sũt Statuæ B. Virginis de Monte Carmelo, S. FRANCISCI, S. Antonij, & S. Ludouici Episcopi Tolosani.

Sacer Mons Aluernæ diues est Statuâ S. FRANCISCI, quam Illustrissimus D. Lælius del Taia, æternum pietatis suæ ibidem posuit monumentum.

Harum Statuarum numerus, quamuis à quibusdam maius quã credi valeat fortassis

taſſis exiſtimari poſſit; quâ nam etenim ratione, ex vna ſolum Arbore, tantus ſtatuarum numerus, aliaque multa pietatis inſtrumenta, vt, Cruces, Pateræ, Roſaria, & cætera huiuſmodi efformari potuerunt? Nouerit tamen Amicus Lector; Primò, pauciſſimas prædictarum Statuarum, palmorum duorum excedere longitudinem: Secundò, noſtram ILICEM eò magnitudinis, ac proceritatis perueniſſe vt facilè, & quæ narrauimus opera, & plura alia ex eius ligno effingi potuerint. Academicus, *Il Fiorito*, nuncupatus apud Maſſiccium, in ſuis de Sancta Arbore Academicis concionibus, teſtatur ſe geometricè ILICIS magnitudinem dimenſum fuiſſe, talemque repertam qualis à me narratur.

(*a*) Arbor S. FRANCISCI (cuius exemplar hic expreſſum ſtatui, alta erat decem & quatuor cubitos, in parte inferiori iuxtà radices tres cubitos craſſa; eius rami tribus diſtinguebantur ordinibus, ex quibus

bus maiores extra agrum nouem cubitis protendebantur, qui verò alijs duobus ordinibus continebantur, vſque ad Arboris verticem ordinis ſeruatâ proportione minores erant, itàvt maiores in primo extarent ordine, his minores in ſecundo, ſecundi verò minores in tertio, eius radices in orbem vndiq; quindecim cubitorũ ſpatio dilatabantur, profunditate in humum ſeptem, & vltra cubitis tendebant, maiorum verò ex his craſſities cubitorum quinque menſuram explebat.

Præter has in priuatis Oratorijs, Cappellis, Cõclauibus, A Edibus, Arboris eiuſdem viſuntur Reliquiæ, vt potè, Roſaria, Coronæ, Cruces, & his ſimilia pietatis arma, Pocula prætereà, & ſcyphi, quibus deuoti S. FRANCISCI Clientes, ægris ſuis, & male valentibus potum præbere conſueuerunt, ipſeque Sumus Chriſtiani Orbis Præſul Clemens VIII. (*b*) ex eodẽ S. FRANCISCI ligno ab Eminentiſſimo Fran-

a Maſſic. diſc. 4. fol. 84. *idem ibidem fol.* 87.

Francisco Maria Taurusio tunc Archiepiscopo Senensi oblatum sibi poculum gratissimè suscepit, ex quo posthabitâ auro & gemmis celatâ carchesiarum varietate, publicis in mensis sitim lauabat. Et vt breuiter complectar omnia Arborem nostram per totam suos ramos diffudisse Europam grauissimorum testium declarari potest auctoritate.

(a) Serenissima Maria Magdalena Archiducissa Austriæ, & Magna Dux Heturiæ hoc S. FRANCISCI LIGNO Germaniam donauit.

(b) In Gallias Serenissima Maria Medices reuerenter illud misit, manu & operâ præcipuè Venerabilis Matris Pasitheæ de Crogis Monialium Cappuccinarum, & alibi Fundatricis.

In Austriam, Illustrissimus D. Michaël VVenceslaus Comes à VVeissenvvolff Mecænas munificentissimus, dum post peragratas Prouincias, bonis auibus ad

Patrios

a Massic. de Arbore disc. 4. fol. 87.
b Idem ibidem.

Patrios remearer Lares, reuerenter illud secum detulit.

Perlustratâ Italiâ, plurimisq; diuersarũ Regionum Prouincijs, in Germaniam reduces, celeberrimæ Zinzendorffianæ Prosapiæ SVRCVLI, Illustrissimi Comites, Michaël Vvenceslaus, & Michaël Adolphus germani Fratres, inter cæteras sacras quas secum detulerant Reliquias, hoc quoque lignum præcipuâ deuotione cõplexi, in Morauia celebre reddiderunt.

Ex Italia in Bohemiam redux, Illustriss. Dom. Franciscus Antonius Comes de Hallevveil, tanquam tutissimo clypeo, contra omnes aduersos incursus, hoc S. FRANCISCI ligno armatus, prosperè paterna reuisit limina.

In Poloniam, & Lithuaniam, à Religiosis nostris Franciscanis, magna cum deuotione est delatum.

In Hispaniam, & Lusitaniam est delatum ab Illustrissimo ac Reuerendiss. D. Comite Suario Regni Lusitaniæ Inquisi-

E tore

tore Generale in ipsas tandem deueniffe Indias purpuratus Ecclesiæ Præsul S. Bonauentura scribit (*a*) idem affirmante Saluat. Vital. qui rem valdè mirificam refert, vnde huius LIGNI virtus præclarissimè illustratur.

Naues plurimi Occidentales Indias petituri conscenderant, sereno cœlo, tranquillo pacatoque mari, fauentibus suauiterque impellentibus ventis ferebatur classis, & ecce subitò exortâ tempestate, (*b*) totum à sedibus imis, furentes peruertunt venti:

Eripiunt subitò nubes, cœlumque diemque
Cunctorum ex oculis ——
Intonuère poli, & crebris micat ignibus æther
Præsentemque viris intentant omnia mortem.

Fluctus ad sidera tolluntur, furit æstus arenis, franguntur remi, naues tantummodo non demerguntur, neq; vorticibus absorbentur, sed mox demergendæ;

Quare

a *S. Bonau. in leg. cap.* 13.
b *Theatr. Seraph. Spect.* 8.

Quare ſupplices cuncti tendunt ad ſidera palmas, diuinique Numinis iram feruentium precum obſequio conantur auertere. Erat inter eos Venerabilis Seraphicæ noſtræ familiæ Alumnus, hic flexis in prora poplitibus, ſummis precibus diuinam opem, tanto in diſcrimine ſuppliciter exorans, cruce ex ligno Arboris S. FRANCISCI compacta, quam velut firmiſſimum præſidium contra omnia aduerſa ſecum attulerat, cœlum, ac mare in crucis formam ſignauit. Mirabile dictu! tumidũ ſubitò placatũ dimittitur æquor, fugantur nubes, ſilent Euri, ſol reducitur, cunctus pelagi cecidit fragor, tranquilla ac læta ſunt omnia, & inceptum datur claſſi, ſecundis ventis proſequi curſum.

CAPVT

CAPVT XVII.

Vberimorum fructuum, quos ex S. FRANCISCI Arbore, fideles se retulisse piè gloriantur, enarratio.

VT celebri & per totum terrarum orbem iam dudū decantato FRANCISCI nomini, Arbor quoque sua immortalia addat præconia, plura pro operis coronide subnectere iuuat, eaque miranda beneficia, quæ Deus optimus fidelibus, FRANCISCI opem implorantibus ad Serui sui gloriam, eiusdem Arboris virtute largiri dignatus est, excerpta sunt ex tabella miraculorū prædicti ligni Arboris S. Patriarchæ, Mediolani, Bononiæ, Taurini, & Perusiæ impressorum, ego enim nihil immutaui, tantummodo ex Italico idiomate in latinum translata ob oculos hic statui, nihil demendo, aut ex meo sensu addendo, vno solùm recentiori euentu cunctis manifesto.

Quadam

Quædam fæmina triduo capta lumine oculorum, ex Arbore S. FRANCISCI decerptis folijs, vtrique oculo applicatis clarissimo restituta est visui.

Duæ puellæ excæcatæ eiusdem Arboris obtentis folijs, & feruenti aqua decoctis, eadem lotæ, membranas, visus potentiam impedientes deterserunt.

Vir quidam contagiosa lue grauatus, omnibus sensibus sopitis, vitalibusque spiritibus sepultis ab omnibus extinctus credebatur, eapropter ad sepulchrum delatus est, verùm in se reuersus, vitalique aurà refocillatus palàm recensuit, Sanctū FRANCISCVM suæ Arbori in Rauacciano innixum se vidisse, ex qua allatis sibi folijs lotus, à morte insequente li[illegible] euasit.

Quædam mulier membrorum [illegible] ctione laborans, filiolam sib[illegible] [illegible]ilem partu edidit, quæ p[illegible] [illegible]ctà incedere omninò [illegible] ex Arbore [illegible]

ytraque optatam assecuta est sanitatem.

Alia quædam nobilis fœmina, genu incurabili plagà corrosum adhibitis ex Sancto ligno folijs, integritati restitutum sensit.

Pleuritide (est inflammatio membranæ costas succingentis) vsque ad exhalationem penè animæ torta quædam Nobilis Matrona sperans in salutaribus Arboris folijs, potu ex ijs confecto, omnem á se abegit ægritudinem.

Item alia nobilioris sanguinis herula, decennio acutissimos sincipitis passa dolores, Medicorum artem frustra experta, ad Medicam S. FRANCISCI recurrit Arborem, ex qua balneo facto integerrimæ est restituta sanitati.

Mendicus quidam crura insanabili ... putrida; aquà ex nostra ILICE ...it.

...mulier funesto casu tumul... ...auiùs ab vngula læsa, tri... ...o iacuit elinguis

quid ad recuperandam cùm voce fa
adhiberetur ignorantibus omnibus, ad-
ſtãtium quidam viuæ fidei, partem Ligni
Seraphicæ Arboris collo eius applicuit,
ad cuius contactum vegeta ſurgens Ar-
boris noſtræ præconia decantauit.

Cauponis cuiuſdam filius, poſt exhau-
ſtas pharmacopolarum medicinas, à Do-
ctoribus Medicis mortem ſibi inſinuatã
intelligens, ſalubriori ductus conſilio,
ſtipulam Ligni S. FRANCISCI velut ſa-
cras Reliquias collo appendit, ad cuius
contactum omne morbi genus receſſit.

Aſt quid mirum ſi ad huius prodigioſi
Ligni contactum tantorum ſit diſſipata
caterua morborum, cum ipſe quoq; dæ-
mon ab obſeſſæ mulieris corpore, cui
collo, corona ex Ligno S. FRANCI
inie&a eſt, hoſpitium ſuum peſſim
quilinus deſerere, fugamque la
mus arripere cöactus fuerit?

Hæc mira, virtute di
NCISCI patra

;rarum puellarum Collegio audiens, quæ quadriennio lecto affixa, se nullâ Æsculapij arte conualescere posse nouerat, à nostris sibi missam ex Arbore Sãcti Crucem, collo appendit; cuius gratiâ pristinis restituta est viribus.

Alia itẽ Sanctimonialis diuturno Pisis, in S. Martini Cœnobio exhausta languore, humanæ omnino impatiens manùs, vnico linteaminum mouebatur, & regebatur beneficio, sed Cruce ex benedicta ILICE, corpori languido applicatâ, incolumis ex eo in quo miserè iacebat lecto prosilijt.

Teutonicus Iuuenis ex ditione Salisburgẽsi Nicolaus Narholtz(a) Anno pro-mi Iubilæi Româ redux, inexpectatâ ... grauissimâ correptus infirmitate, ...ri Xenodochio Senensi decum-...us est; quem clari nominis Me-...inus Christophorus Rustic' ... validioribus, iuxta ar-

præcepta pharmacis iuuare conabatur, frustra omnia adhiberi sentiens de ægro- tantis Iuuenis iam desperarat salute: lar- cebat igitur patrios extra lares, hæc mor- tis immatura victima; commune nostræ conditionis propediem exolutura debitū: Interea contigit, vt duo Franciscanæ Cō- uentualium familiæ Alumni (quorum alter ego ipse fui) dicti Xenodochij ægros inuisum accesserint, inter quos & istum reperi, quem pro more patriæ amanter saluto, & quonam morbo vexaretur in- terrogo: Iuuenis vberrimas effusus in lachrymas singultatim respondit, nihil amplius dulcis vitæ sibi sperandum fore, eò quod à Medico de suis rebus iam des- peratum esset; igitur se tantùm Medi egere Spirituali, qui interni homini- deretur languoribus, mox igitu- fessionem Sacramentalem a- dita explicare, cæ-

... precibus, vt quæ ex S. FRANCISCI Arboris Ligno conficitur aqua, sibi afferatur; affertur, allatam auidissimà deuotione quinque haustibus, ad honorē sacratum illarum quinque plagarū (quibus Rex Sæculorum Christus IESVS, Seruum suum FRANCISCVM insignire dignatus est) hausit ac bibit, & illicò nobis præsentibus meliùs se valere lætà fronte gloriabatur, voto B. FRANCISCO se obstrinxit, votūque exoluit, & septem intra dies, qui moriturus omniū calculo censebatur, saluus hospitali valedixit, incolumisque in Germaniam remeauit, magnificans Deum; & Arborem Sancti [illegible]

Virtus præterea Arboris nostræ, ma... illustris est, contra fulgura, & tem... [illegible] virtutem, quæ celebribus Carauacca nuncupatis tribui... [illegible] & hanc præcipuè [illegible]

nenſium, vel corona, vel paruà [illegible]
ex hoc Ligno, tanquam ſcuto ſalut[illegible]
contra omnes aduerſos inſultus ſe mu[illegible]
niunt. E Senenſibus complures etiam in
præſenti viuunt, qui aquæ huius Arbo-
ris beneficio, à febrium labore liberati
fuère. Non omittam (vt quæ hactenus
dicta ſunt, magis illuſtrentur) vnum ni-
mirum quanti fecerit Arborem iſtam
Mater Paſitea de Crogis venerandæ ſem-
per memoriæ Virgo, cuius ſupra memi-
nimus, hæc enim plurimùm in ea repo-
nebat fiduciæ, quod pluribus quouis
tempore teſtimonijs declarauit, eam ve-
hementer à ſe inſtitutis Monialibus tan-
quam plurimi faciendam commendabat,
& quod caput eſt, cum ſectæ Arb[illegible]
portione (quam auro gratiùs re[illegible]
donata fuiſſet, eadem pro certu[illegible]
extremis vitæ temporibus v[illegible]
[illegible]æ Matri[illegible]

quam præstantissimum velut reme-
..n ægrotantibus, ac febri laborantibus,
..eliter, ac deuotè hauriendam exhi-
bent, qui eius beneficio ab ægritudini-
bus liberati, & sanitate pristinæ restituti,
Dei summam clementiam Seraphici Pa-
tris efficax Patrocinium, eiusque Arboris
miram Virtutem celebrare, & commen-
dare, deinde non cessant.

A. M. D. G.

1048.3

ERRATA

Correctiùs legere non graueris, qui
has pauculas paginas volueris :

pag.	verſ.	Errata	Corrige
11.	1.	*Tuſcia*	*Tuſciæ*.
18.	3.	*rationes*	*rationis*,
18.	12.	*iuceps*,	*auceps* ,
21.	16.	*fueri fuerit*	*fuerit*,
23.	14.	*liberis*,	*literis*.
26.	4.	*meminerit*	*meminit*
26.	18.	*fulgiebat*	*fulciebat*
53.	10.	*Eccleſiæ*	*Eccleſia*
55.	15.	*eornm*	[illegible]